



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Silentium opportunum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

SILENTIUM OPPORTUNUM. CAP. XXXII.

A Neque hoc ab Ægyptiis observatum, ut silentium in tempore servatum, per Anserem, qui lapillum rostro apprehendit, significetur. Avis enim hæc, quæ clamore graviter obstrepenti fere semper clangit, ut etiam inter pascendum silere nequeat, exemplo est humano generi taciturnitatis etiam, ubi res exigit, observandæ: quippe quæ salutem suam alto interdum silentio tueri soleat. Illæ siquidem, ut Ammianus author est, ab Orientali calore invalescente, in Occiduum plagam transmeare consueverunt, cumque Taurum montem Aquilis abundantem penetrare cœperint, fortissimarum volucrum vim pertimescentes rostra sua lapillis occludunt, ne ulla vel extrema necessitate clangor elici possit: iisdemque collibus agilior volatu transcur-

Anserum
hic indu-
tria.

B sis, tutum jam iter noctæ, calculos projiciunt. Neque me ptaterit, eruditissimum virum de discipulis Plauti in Alexandro. Val. Max. lib. 1. c. 8. Aristotelis consilium, quod Callistheni sectatori, & propinquo suo dedit, cum eum ad Regem Alexandrum mitteret: admonuit enim hominem, ut quam rarissime, & id jucunde, apud eum loqueretur, qui vitæ potestatem & necis in acie linguæ gestaret.

IMPROBITAS. CAP. XXXIII.

A Lioquin Anser in vaticiniis, & rerum aliarum elogiis, improbitatem quandam præ se ferre videtur. Hinc Homerus in somnii prælagitione, procos per Anseres innuit, ejusque inauspicata garrulitas & à Virgilio, & à Propertio quibusdam vitio data est. Aversum enim adeo est à poeticis studiis Anseris ingenium, ut Phœbeam arborem laurum, quam sibi exitialem, si ejus foliis vescatur, intelligit, pertinacissime fugiat. Nam cum natura sit admodum calidus, liquidis & frigidis delectatur cibis, lavationesq; amat, & ea declinat, quæ perniciem afferre possint. Laurum vero igneam esse suo loco diximus. Non dissimulabo, quod ad procos attinet, inventa aliquando in Anseribus amoris erga homines exempla, ut proditum de eo, qui puerum Amphilo- chum Olenium genere deperierit, quod & Clearchus & Theophrastus testatum reliquere. Et Glaucen Ptolemæi Regis citharistriam memorat Plinius, quam Anser, & eodem tempore Aries etiam, adamarint. Alius Lacydi Philosopho comes perpetuo dicitur adhæsisse, ut nusquam ab eo non in publico, non in balneis, non noctu, non interdum digrederetur.

Laurus ini-
mica AnseriEt Memini
Alian. lib.
9. c. 39. Et
Plin. lib. 16.
cap. 22.

DETRIMENTUM. CAP. XXXIV.

D Est & detrimenti hieroglyphicum Anser pascens: propterea quod quacumque ille oletum suum sparserit, adurere omnia soleat: neque quicquam magis vel satis vel pratis officere, quam si eo pabulatum anseres immittantur. Quinetiam eorum sterco, si muria dissolvatur, & oleribus inspergatur, omnia vitiabit. Tum Anser ille poetarum perditissimus, qui inter Olores satis cum impudentia strepere notatur à Marone, à Cicerone quoque carpitur: quod illi Falernum fundum Antonius dono dedisset: quod nisi & improbus, & perditorum morum fuisset, conjectura est Antonium id minime facturum: eoque spectat Ciceronianum illud in Antonium, Anseres de Falerno depellendi sunt.

ACCUSATOR INANIS, CAP. XXXV.

E T ne longius ab eo digrediamur, apud eundem oratione pro Sex. Roscio, Anserem invenias pro eo accusatore positum, qui obstrepat tantum, noceat tamen nihil, cum Canis non tantum allatret, sed